

est, non respondeat, sit genuinum, patet illud omni prorsus errore vacare, ac tale, etiam esse, illius Authorem ostendere debere. Secunda est, *ut ab illō non possit provocari*, hoc est, *ut illius interpretatio ad aliud non sit examinanda*: provocatio enim propriè ad Judicem pertinet. Tertia, *ut non sit partialis, magisque ad unam, quam alteram partem inclinet*. Quarta denique & ultima, *ut ad assensionem cogere*, vel ut alii, *ut certā homines cognitione imbuere possit*. Quæ tres conditiones in primâ fundantur, ex eâque deducuntur. Quoniam enim prima præcipit, ut ab omni prorsus errore sit immunis verus interpres, idque perspectum esse debeat; perspecta simul atque cognita quoque erit illius expositionis veritas, quæ idcirco, nec ad aliud exigenda, quid enim amplius quam verum sensum certò cognoscere expetimus? nec partium duci studiô poterit; sed sola animis, & assensum extorquere, & infallibilem notitiam inferere. Atque has quatuor conditiones assignato à nobis interpreti inesse omnes, cuilibet illas ei adaptare atque accommodare volenti manifestum esse putamus, unde pluribus id persequi, superfluum esse ducimus.

C A P. V.

1. *De verò Scripturæ Interpretate Pontificiorum, Euangelicorum, ac nostra sententia.* 2. *Philosophiæ Descriptio,* 3. *Causa principalis,* 4. *Instrumentalis,* 5. & *Certitudo.* 6. *Quid nobis sit persuasio Spiritus Sancti ordinaria?* 7. *Veritatem ordinariè, veritati extraordinariè patefactæ non supponi, multò minus opponi.*

1. **A**T verò quibus facultatibus prædictus, quibus adminiculis adiutus, quâ normâ, quâ Methodo instructus debet esse quis, ut S. Scripturam & ipse verè explicare, & à falsis aliorum interpretamentis vindicare, adeoque genuini interpretis muneri sufficiere valeat? Pontificii & jus & normam S. Literas interpretandi, ac de aliorum interpretationibus judicandi, spuriæne sint, an genuinæ, penes solam Ecclesiam Romanam esse statuunt, ac idcircò nullum, ajunt, verum esse interpretem, nisi cuius explicatio illius approbatione confirmata atque corroborata est. Huic sententiæ acerrimè sele opponunt, quotquot à sede Romanâ defecerunt Christiani, contendentes, præter alia media huic negotio conducibilia, qualia sunt Linguarum Originalium notitia, Liberalium Artium cognitio, Interpretum piorum ac doctorum auxilium, &c. ipsam

S. Scri-